

## Rñius P. Petrus Paulus Blasucci (1729-1817)

Archivista generalis optime de historia Instituti meritus P. Fridericus Kuntz necrologium Rectoris Maioris Blasucci incipit a verbis: « Petrus Paulus Blasucci iure meritoque unum e praecipuis Congregationis ornamentis dicendus est » <sup>1</sup>.

Ipsę ortum habuit Ruvı in dioecesi Murana, ex Nicolao Blasucci et Antonia Carnevale, quae erat filia fratris archipresbyteri Ruvensis et soror matris ex-Generalis nostri Francisci De Paola. Ortus dies incidit in d. 22 Febr. 1729. A pueritia duxit vitam valde piam. Litterarum studio vacasse videtur sub ductu avunculi, archipresbyteri Carnevale, quem etiam in edocendo pueros doctrinam christianam adiuwabat.

A. 1750, cum S. Alfonsus missionem Melphi et Ripacandidae obiret, exortum est in Petri corde vivum desiderium ei sese adiungendi, eo vel magis, quod frater natu minor Dominicus idem iam exeunte anno proxime elapso perfeceerat. Huius adhortationibus scriptis pressus, ineunte mense Iunio 1752 clam e domo materna (pater enim iam mortuus erat) ad collegium Matrisdomini aufugit, neque a sancto proposito se amoveri passus est, cum postridie piam genitricem, fratrem natu maiorem duosque sacerdotes Ruvenses coram videret, orantes et obsecrantes ut domum reverteretur.

Annus probationis (14 Aug. 1752-14 Aug. 1753) inde memorabilis, quod in duabus domibus diversis transactus est (primum in Ciorani, postea in

<sup>1</sup> *Commentaria*, vol. XVIII, p. 129.

Iliceto) sub tribus Magistris, Patribus nempe Villani et Tannoia et De Meo. Sacerdotio initiatus est 21 Apr. 1754.

Quanti eum faceret S. Fundator, clare ostendit, Patrem Blasucci aetate 26 annorum nominans Praefectum studentium Lectoremque philosophiae, aetate vero 32 annorum (a. 1761) Rectorem domus Caposele (Materdomini) et brevi post duces primae expeditionis in regionem longinquam (!), in Siciliam, conducendae.

Nostrum hic non est casus et fata illius itineris accuratius enarrare. Cum P. Franciscus Pentimalli S. Euphemiae mortuus esset, P. Blasucci dixit, lacrimante toto populo, socii itineris funebrem orationem. Tandem 11 Dec. 1761 feliciter appulsum est Agrigentum et statim in Sicilia inchoatum sacrum ministerium Alfonsiano spiritu imbutum.

26 Maii 1763 P. Blasucci et P. Bernardus Apice e Sicilia profecti sunt, ut cum S. Fundatore de rebus Siculis coram tractarent. Inter alia Antistiti Sanctagathensi suaserunt ut, quandoquidem Hermannus Busenbaum eiusque probabilismus Siculis odiosi essent, Theologiam suam Moralem reficeret. Arrisit consilium Beato Patri, et ideo Blasucci et Apice cum eo circ. duos menses Nuceriae Paganorum commorati sunt, reficientes integrum tractatum I de conscientia, in quo non amplius comparet, inde ab ed. 5<sup>a</sup> anni 1763, nomen Busenbaum, neque in titulo totius operis.

Mense Septembri Blasucci et Apice in Siciliam redierunt, prosecuturi laborum apostolicorum cursum. A. 1764 Agrigentinae communitati P. Apice praepositus est. P. Blasucci vero a. 1766, iubente Vicario Generali Villani, Visitoris officio fungitur, in sua relatione humillime et suos ipsius defectus manifestans.

Insequenti anno iterum molestam sibi Superioris provinciam assumere iussus est et a. 1770 plane invitus tertium.

Quae 3 Iul. 1770 Patri Villani scripsit, hic ex parte referre placet; siquidem ostendunt clare, quam alienus fuerit ab omni ambitione et gubernandi pruritu.

*« Il governo di un Rettore più di tre anni riesce alla comunità gravoso e tedioso. La mutazione giova al Superiore diventato suddito, e a' sudditi sotto nuovo zelante Superiore. Quel sentimento che conservo per gli altri, amo che sia posto in pratica e cogli altri e con me. Si deve questo cambiamento molto più a questa famiglia, lontana dai Superiori maggiori e dipendente dal solo Rettore Maggiore.... I Siciliani non fanno conto de' soggetti, se non li vedono inalzati al grado di Superiore. Tanto è confermare sempre lo stesso, quanto far passare gli altri compagni per uomini da nulla... È buono che i soggetti s'imparino di governare, che i Superiori passati s'imparino di stare soggetti, si raccogliano e si umilino, che i pesi e onori si comportino or' a questo ora quello »<sup>1</sup>.*

<sup>1</sup> F. KUNTZ, XVIII, 133 sq.

Ex variis epistolis a P. Kuntz VIII volumini Annalium suorum insertis (p. 69 sqq.) videretur P. Blasucci aliquantum probabiliorismo ad tempus indulsisse (nil mirum illis temporibus); sed potius erat captus nimio timore, ne cum Iesuitis damnaretur doctrina S. Fundatoris et Institutum, et instabat ut caute ageretur. Quodsi in doctrina ipsa paululum aliter sentiebat, post epistolarem cum S. Fundatore disceptationem plane ipsi consensit.

Die 10 Oct. 1772 P. Blasucci repertus est Neapoli, ut de rebus Siculis cum S. Fundatore eiusque Vicario Generali tractaret. Sperabat se mox in Siciliam reversurum, revera autem quinquennium in continente remanere debuit. Sagaci eius opera S. Alfonsus multifariam utebatur; inter alia a. 1776 eum ad Statum Pontificium misit, ut tanquam Visitator res Scifellenses et Frusinonenses diserneret.

Redux in Siciliam (a. 1777) redintegrat apostolicas suos labores et admittit in novitiatum sacerdotem Vincentium Giattini, futurum Procuratorem generalem in Urbe et causae Beatificationis D. Alfonsi Postulatorem.

In confusione ista per famigeratum *Regolamento* creata P. Blasucci perseveravit cum suis in Sicilia observare antiquam Regulam, et ipso anno mortis S. Fundatoris Saccae (*Sciacca*) magnificam pristinam ecclesiam Iesuitarum cum adiacente vastissimo collegio nobis acquisivit.

Per breve tempus, saltem iuxta regis volutum, P. Blasucci erat prorsus independens a Rectore Maiore Paganensi, ita ut Congregatio nostra parvum tria capita haberet, immo potius quatuor, attenta partiali independentia Vicariatus Transalpini. Ita enim regius administer Carolus de Marco 17 Apr. 1790 nomine Ferdinandi IV (I) rescripsit: « S. Maestà... ha risoluto che venga autorizzato con la sua Reale approvazione lo stabilimento delle due case, poste in *Girgenti* ed in *Sciacca*, e comanda che i Missionarî del SS. Redentore delle medesime *dovessero vivere coll'osservanza delle Regole originarie* di tale Istituto, col quale hanno vissuto finora, e che *non debbano avere la menoma dipendenza dal Rettore Maggiore* delle quattro case di questo Regno, nè siano tenuti a solennizzare con giuramenti i voti semplici »<sup>1</sup>. Attamen iam 9 Oct. eiusdem anni etiam Neapolitanis Congregatis reditus ad Benedicti XIV Regulam concessus est<sup>2</sup> et sic via parata ad restabiliendam familiae nostrae unitatem, quae quidem in Capitulo generali anni 1793 feliciter effecta est. In eo P. Blasucci partem habuit non qua Rector localis, sed qua « Delegatus » i. e. quasi-Provincialis Siciliae, et inde ab initio tantam habuit auctoritatem, ut 2 Martii electus sit Capituli Secretarius, et 12 Martii, facta a P. De Paola muneris

<sup>1</sup> F. KUNTZ, XII, 175 sq.

<sup>2</sup> L. c. p. 215 sq. et 226 sqq.

renuntiatione, in tertio scrutinio, votis 30 ex 46, totius Congregationis Moderator supremus<sup>1</sup>. Erat tum annos natus 64.

Alios 24 annos in novo munere difficili vixit, *miscens gaudia fletibus*. Profecto gaudebat de restituta unitate perfecta ac regii regulamenti abolitione; quare in prima sua epistola circulari (18 Iun. 1793) scripsit: «*Malorum diluvium, quod per plures annos nos inundavit, tandem aliquando cessavit... Nos omnes... confiteri debemus Dominum virtutum... magnum pro nobis patrasse miraculum immani duodecim annorum<sup>2</sup> bello finem citissime imponendo*».

Intrepidus dux mox salutaria adiungit monita et praescripta, quae hodiecum cum summa utilitate leguntur, veluti haec: «*Ad strenui Iudae Machabaei exemplum visitemus, mundemus et renovemus oportet Dei sanctuarium, inimici profanationibus contaminatum... Primi huius instaurationis passus ad praecipuum Instituti nostri finem dirigantur, ad exercitium sacrarum missionum, quas summa cum nostra tristitia a primo fervore, quo primigenii Congregationis nostrae praecones flagrabant, delapsas conspicimus... Nemo autem reputet Rectoris Maioris mandata more solito litteram mortuam ac sine effectu remansura... Profecto res non ita eveniet, quamdiu Dominus vitam nobis, sanum caput et nostrae vestraeque aeternae salutis studium conservabit*»<sup>3</sup>.

Gaudebat Rector Maior Blasucci videns Patris Legiferi causam beatificationis tam celeri gradu, praesertim initio, procedere<sup>4</sup>. In ipsa tamen beatificationis sollemnitate (15 Sept. 1816) senex grandaevus adesse non poterat, et in universum solummodo quatuor Redemptoristae interfuisse videntur.

Gaudebat de nuntiis laetis a variis subditis, velut S. Clemente<sup>5</sup>, receptis. Gaudebat de novis domibus apertis Panormi in Sicilia (1804), Romae et Neapoli (1815), Summae ad Vesuvium (1816), et compluribus locis trans Alpes, quamquam hae ultimae foundationes (Jestetten, Triberg, Babenhau- sen, Chur, Visp) in temporum iniquitate consistere non potuerunt.

At quot quantasque adversitates quoque venerabilis et amabilis senex expertus est! Recordemur duplicem Gallorum in Status Pontificios invasionem, captivitatem Romanorum Pontificum Pii VI et Pii VII, suppressionem complurium domorum, inter quas erat florentissimum collegium Varsaviense.

A. 1798 etiam Neapolis tremebat; P. Blasucci autem, audiens cotidie Neapolitanos de proximo Gallorum ingressu loquentes, quondam in haec fere verba prorupit: 'Vah! Galli isti venire sinantur, et nos sinamur liberi esse a continuis illis timoribus!' Haec verba, sine dolo prolata, ad regem

<sup>1</sup> *Acta Capitulorum gen.*, n. 245, 260, 262.

<sup>2</sup> «*Duodecim anni*» computantur vel 1780-1792, vel 1781-1793.

<sup>3</sup> *Documenta Miscellanea*, p. 181 sqq.

<sup>4</sup> Cfr. supra fasc. 3, p. 121 sqq.

<sup>5</sup> Cfr. *Monumenta Hofbaueriana VIII*, 37-74.

deferuntur tamquam verum perduellionis delictum. Inde fit ut Rector Maior a mense Aprili 1798 ad Novembrem 1799 in Camaldulensium eremo Vico Equense prope Surrentum custodia detineatur<sup>1</sup>. Interim vero revera Galli Neapolim venerant et rex Ferdinandus in Siciliam aufugerat.

Quantas quoque tribulationes Rectori Maiori intulit consobrinus Franciscus De Paola, in quo dotes praeclarissimae magnis defectibus miscebantur! Tandem P. Blasucci a. 1808 eum ex Instituto expulit, qui nihominus in collegio Frusinonensi a Gubernio invasore suppresso cum Fratres laico vivere permissus est ibique 8 Nov. 1814 in brachiis P. Sebastiani Perciballi, munitus Benedictione Apostolica particulari, animam Creatori reddidit; corpus autem post funebria sollemnia in ipsa ecclesia B. M. V. Gratiarum sepulchrum invenit.

Rñus P. Blasucci 13 Iun. 1817, festo SS. Cordis Iesu, diem obiit supremum Paganis prope B. Fundatoris sepulchrum.

P. Andreas Hugues in sua *Historia C. SS. R.* (MS) scribit: « P. Papa-religiosus piissimus, quem cognovi Nocerae, quique multos annos sub P. Blasucci vixerat, mihi dixit eum optimum theologum et praedicatorum fuisse, atque benigne quidem gubernasse, attamen semper observantiam postulavisse ».

In quodam pervetusto Catalogo defunctorum Congregatorum dicitur Patrem Blasucci fuisse virum doctum sanctumque, Regularum nostrarum observantissimum usque ad ultima vitae momenta, vivae fidei plenum et divinae voluntati plane deditum. Eum SS. Sacramento adeo devotum fuisse, ut horas integras in choro transigeret animo summe collecto. Etiam octogenarium eum voluisse in altari maiore celebrare et cuivis petenti communionem distribuere. « Io stesso più volte l'ho appoggiato a salire i gradini dell'altare maggiore in S. Michele. Proprio parlava col Sacramento ».

Eodem loco (p. 136) P. Kuntz ex antiqua scriptura refert sanctum virum quondam a P. Pavone inventum esse in extasim raptum. Dicitur etiam praedixisse diem quo P. Lombardi e captivitate piratarum Saracenorum liberaretur. Immo haec liberatio eodem tempore, et via plane singulari, facta esse fertur, quo P. Blasucci magna fide motus in celebranda Missa orabat: « Tibi, Pater aeternae, Filium tuum offero; et tu mihi redde filium meum! »<sup>2</sup>

Forsitan quis in tam luminosa figura aliquas detegere umbraculas velit, uti quandam relaxationem paupertatis inductam in Capitulis, quibus ipse praefuit<sup>3</sup>, eiusque renitentiam quoad novum gradum hierarchicum Provincialis inter Rectorem Maiorem et Superiores locales introducendum<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> BERTHE II, 683; *Docum. Misc.*, p. 191-193.

<sup>2</sup> Cfr. C. M. PETRONE, *Intorno alla Messa* (Napoli, 1925), p. 25-27.

<sup>3</sup> *Acta Capitulum generalium* nn. 344, 477, 486.

<sup>4</sup> Cfr. R. PITIGLIANI in *Nel Secondo Centenario...*, p. 83 sq.

Verum homines iudicari debent suis in temporibus suisque in adiunctis, quae, utpote longe a nobis distantia, iam nunc apprime cognosci nequeunt. Praeterea, quot decisiones in Capitulis fiunt, quae ipsi Praesidi minime arident! Ceterum de his materiis esset longa et hic inutilis disceptatio. Et in tali «homine Dei», Instituto eiusque Fundatori addictissimo ipsique plane consentienti, vere digno fratre Venerabilis Servi Dei Dominici Blasucci, quis plenam rectitudinem et optimas intentiones excludere audeat?



### Mausoleum Ill<sup>m</sup>i Caelestini M. Cocle

Compendium vitae Ill<sup>m</sup>i Archiepiscopi titularis Caelestini Mariae Cocle, ex-Rectoris Maioris nostri, videre est in fasciculo 4<sup>o</sup> Analectorum huius anni, p. 169-172. Hodie Confratribus ostendimus marmoreum mausoleum huius Praelati, a fratris filio Paschali Cocle, sacerdote saeculari, patruo in nostra ecclesia Neapolitana S. Antonii a Tarsia, in quodam sacello laterali, erecto. Longum monumenti elogium iam l. c. exscripsimus.